



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VI. a Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

cum unica, & virgine, habitum deferentes gaudent hoc privilegio, ut probat Diana p. 9. tract. 4. resol. 6. per tot. Si verò clerici deposito habitu, enormitatibus dentur, non gaudent hoc privilegio, cap. perpendimus, cap. cum non ab homine, hoc tit. Quod ad assassinos protrahunt Covarr. lib. 2. variar. cap. 20. num. 10. Item joculariores, & goliardi, de quibus in cap. unic. de vita & honest. lib. 6. Item carnifices, & tabernarii ter moniti, si non desistunt, privantur hoc privilegio canonis, Clement. unica, eod. tit. de vita & honest. cleric. Item incorrigibiles realiter degradati hoc privilegio spoliantur, cap. cum non ab homine, de judic.

2. Secundo hoc privilegio gaudent omnes religiosi utriusque sexus conversi, etsi aliqui non emittant professionem; immò & novitii, cap. religiosi, hoc titulo in 6. an quia appellatione clericorum veniant, an verò ratione privilegii, disputant Hallerius lib. 4. in vindictis, cap. 1. §. 2. Celotius contra ipsum de hierarch. Hoc quoque pri-

viligio gaudent fratres tertii ordinis sancti Francisci in communi viventes, & habitum gestantes, si verò in domibus propriis habitent, etsi habitum deferant, & se, ac sua religioni tradant, non gaudent hoc privilegio. Rodriguez tom. 2. qq. regul. quest. 65. art. 5. Gibalinus in synopsi, dict. verbo Injuria. Similiter Eremitæ sub certa regula degentes, ac proprium Prælatum agnoscetes, gaudent hoc privilegio. Circa Equites militares, & eorum commendatarios dubitant Molina dict. disp. 50. Sanchez lib. 1. summa, cap. 16. num. 11. Azor part. 1. instit. lib. 13. cap. 4. quest. 4. Sed hujus dubii resolutio pendet ex alia questione, an videlicet illi sint veri religiosi? Quam examinant plures, quos retuli in cap. 5. de statu monach. Et ita dicendum est, Equites sancti Joannis, quia emittunt tria vota substantialia, gaudere hoc privilegio canonis, cæteros verò Equites in communi non degentes, non gaudere hac immunitate, etsi contrarium teneat Diana dict. tract. 4. resol. 7. per tot.

CAPUT VI.

a Idem.

Mulieres, vel aliæ personæ, quæ sui juris non sunt, ab Episcopo diœc. absolvi possunt, si manus in clericum injecerint violentas. De his verò, qui magnæ non sunt potentæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sed. Ap. nequeunt sustinere, respondemus, quod status personæ prius, & veritas negotij est intima Rom. Pont. & secundum consilium ejus tales erunt de commisso scelere corrigendi. Illi verò qui non per seipsos, sed eorum auctoritate, vel mandato violenter injiciunt manus in clericos, ad Sedem Apost. sunt mittendi; cum is committat verè, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur.

NOTÆ.

a Idem B.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 7. post Concilium autem Lateran. p. 14. cap. 12. legitur Baroniensi, sed retineo præsentem inscriptionem, & verius credo in præsentem referri partem textus in cap. 1. hoc tit.

b Mulieres.] Consonant textus in cap. quamvis, cap. ea noscitur, hoc tit. Nam cum in mulieribus periculosum sit vagari, & virorum cœtibus se immiscere, l. 1. C. Justin. de offic. divers. judic. novella 124. cap. 1. (cujus constitutionis anam tradit Baronius anno 316. num. 71.) ut probant Chassaneus in catal. p. 2. consider. 30. Osualdus lib. 24. cap. 22. litera G. Revardus 4. var. 15. ideo

non sunt cogendæ Romanum Pontificem adire, & ita generali consuetudine receptum est, ut etiam ob gravem percussione possint ab Episcopo absolvi, ut testatur, & probat Diana dict. cap. 9. tract. 4. resol. 59. per tot.

c Illi verò.] Etiam hanc constitutionem ad consulentes, & qui auxilium, vel favorem percussione clericorum præstiterint, immò & ad ratam percussione habentes, extendunt Doctores ex textu in cap. quanta 47. cap. cum quis, hoc tit. Diana d. tract. 4. resol. 14. Suarez disput. 22. de censur. sect. 1. num. 55. Hieronymus Garcia dict. difficult. 30. punct. 3. qui varios casus resolvunt circa mandantes similem percussione.

CAPUT VII.

a Idem.

Porrò si aliqui violentas manus in fratres suos injiciunt, & ducti penitentiâ, non convicti, sed privati à te veniam postulant, eos monere debes, & inducere, ut his, quos læserunt, congruè satisfaciant, & Apostolico se conspectui repræsentent, cum à te, vel alio sine speciali mandato Rom. Pont. absolvi non possunt.